IN PHILOSOPHIAM MEDICAM INTRODUCTIO.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

UT

SUMMI IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XV. M. MARTII A. MDCCCXXIII.

H. L. Q. S.

PALAM DEFENSURUS EST

AUCTOR

CAR. ANTON. AUGUST. MONTAGK

EICHSFELDENSIS.

OPPONENTIBUS:

ALEX. RIEGER.

AUGUST. HILDEBRAND.

FRANC. SCHOLZ.

FORMIS BRUESCHCKIANIS.

Medicina autem in philosophia non fundata, res infirma est.

Baco de augm. scientiar. Lib. IV.

VIRO

PRAECLARISSIMO EXCELLENTISSIMO
EXPERIENTISSIMO

ERNESTO HORN

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI REGI BORUSSORUM A CONSILIIS INTIMIS PROFESSORI P. O. IN UNIVERSITATE LITTERARIA BEROL., MEDICO PRACTICO, CRUCIS FERREAE EQUITI, SOCIETATUM PLURIMARUM SODALI ETC. ETC.

PRAECEPTORI

SUO

REVERENDISSIMO

NEC MINUS

VIRO

ILLUSTRISSIMO EXCELLENTISSIMO
EXPERIENTISSIMO

PH. C. HARTMANN

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORI ET PROFESSORI
IN UNIVERSITATE LITTERARIA VINDOBONENSI ETC. ETC.

VIRO

SUMMA QUA PAR EST PIETATE COLENDO

ATQUE

VIRO

CELEBERRIMO AMPLISSIMO
EXPERIENTISSIMO

J. F. C. HECKER

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI ET PROFESSORI P. E.
IN UNIVERSITATE LITTERARIA BEROL., MEDICO PRACTICO
ETC.

PRAECEPTORI SUO DILECTISSIMO

V I R I S

ERUDITIONIS PROBITATISQUE LAUDE

VETERIS AC NOVAE MEDICINAE

CONSPICUIS GNARISSIMIS

GRATO ANIMO

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

Praefatio.

Quam mihi proposui scribendi materiam, ea viros semper magni ingenii exercuit, etiamque difficultatem eius permagnam plurimi adnotant. Hinc nullo modo mihi vindicare possum, hac in re melius quiddam praestare posse. Sed hanc rem elegi, ad exercendum ingenium, nec minus ut a praeceptoribus hac vel illa ratione rectius edocerer. Iam pridem satirica de illa conscripsi, sed hac occasione me decet modeste neque arroganter, simpliciter verum dicere. Cum enim ex scriptis medicis, recta plerumque et usu probata tantummodo excerpantur, revera bibliotheca medica exigua esset ut Baco adnotat, vir magni ingenii:

„Satis 1) inquit scimus, haberi historiam naturalem, mole amplam, varietate gratam diligentia saepe curiosam. Attamen si quis ex ea sabulas et authorum citationes et inanes controversias, philologiam denique et ornamenta eximat ad nil magni res recidet.“

---

1) Baconis opera, edit. Lond. 1638 de augmento scientiarum Lib. II. Cap. 3.

Sectio prima.

De animi facultatibus maxime medicorum.

§. 1.

Sensuum actiones et ratio (ratio et iudicium gradu tantum differunt) potissimos cognoscendi fontes mentis humanae sistunt; cuius scientia, quanta et qualis sit, ex alterutro illorum promanaverit necesse est. Utraque autem cognoscendi facultatis manifestatio communi principio nititur, quod ingeniosissimus Hartmann 1) ostendit.

1) Der Geist des Menschen pag. 17.: „Dass das gesammte Erkenntnissvermögen in allen seinen Aeusserungen unter einem obersten, selbstthätigen Princip stehe, dessen wesentliche Charaktere sich durch Freiheit, Bewusstseyn und immer reges Streben nach Verbindung des Mannigfaltigen zur Einheit aussprechen.“

§. 2.

In omnibus phaenomenis, quae effectu rerum naturae inter se et in corpus humanum orta sunt, celerem successionem causae et effectus animadvertimus, per eandem facultatem animi, per quam apti sumus consuetudini et associationi idearum; ideoque illa organon (instrumentum) animi dici posset.

§. 3.

Etenim eadem facultas princeps quae a prima aetate idoneos nos efficit ad phaenomena naturae causis suis tribuenda, legem etiam consuetudinis et associationis idearum confirmat eademque errorum fons est.

§. 4.

Ut sensus externi cum rerum naturae concordant, ita facultates animi, quod in facultate ad consuetudinem et associationem idearum manifestum est, cum sensibus externis conveniunt in continenti rerum vicissitudine et repetitione quae legibus naturae est posita. Quae facultas nisi a prima aetate nobis innata esset, neque in memoriam rediret, vita existere non posset. Etenim omnis instinctus, quo salubria quaerere, noxia et periculosa evitare conamur, facultati illi tribuendus est. Quae in sepuentibus annis pro-

videntia, prudentia nominatur, ex hac facultate orta est; iamque nondum instinctum, sed altiorem intellectum sequimur, quo ex usu docemur, effectum et causam, rem et consilium associare. Quae quidem functio in bene constructo animo celeriter peragitur, dum hanc rerum naturam recte diiudicat, et ab accidentalibus discernit. Ut hanc accurationem mentis consequamur naturali facultate opus est; deinde requiritur, ut opinionibus praeiudicatis liberi simus, exercitatio et observatio naturae, veri cupiditas, ut conscii simus officiorum, magna copia factorum in memoria tenaci servatorum, cum facultate quadam celeriter associandi, comparandi et discernendi. Haec versutia dici posset, id est facultas in usu facta intelligendi, cognoscendi, inter se comparandi diiudicandique proprio quidem modo cuius saepe nescii sumus quae non minus animo bene constructo, quam exculto inest.

§. 5.

Ante omnia non credamus, animum nihil agere posse, quin sciat. Imo, animus metitur, numerat et comparat, quorum nescii sumus. Quod sensu auditus probatur, neque enim soni nisi numeratione motionum tremulantium discerni possunt, quod Leibnitzius bene intellexit, qui musicam exercitationem ratiocinationis dixit,

cuius nescii simus. Idem de regulis symmetriae valet. Cur hoc non sensui interni concedere velimus? Quae facultas non raro divinationis naturalis forma apparet quae medicum perfectiorem divinum reddit.

§. 6.

Iam medici ingenium facultate instructum sit oportet, rationem causae et effectus recte et plane intelligendi, naturam rerum percipiendi. Haec tamen sensus externos excellentis et mentem aptiorem, adeoque ingenium magnum requirit; philosophus sit, qui rem propositam non prius delinquat, quam omnia quaesiverit et recte ordinaverit; ut uno verbo dicam, facultas observandi, illa divinatio naturalis, atque versutia medico opus sunt.

Sectio secunda.

Veritas et errores rationis et experientiae.

§. 1.

Primum officium medici est conservandi sanitatem, secundum morbos curandi, tertium vitam pro longandi, qua de causa, artem medicinam dicimus, id est applicationem rerum ad aliquod consilium. Hae res autem viribus ipsarum physicis cognitis eliguntur.

§. 2.

Ex his iam apparet, cum in hac disciplina potentiis physicis occupemur primum esse, effectum rerum naturae in corpus humanum utrum noxius sit an salubris cognoscere; eundemque tollere, aut evitare pro consilio, morbum praecavere, aut curare. Quo certior et copiosior cognitio horum effectuum, eo perfectior est ars medendi.

§. 3.

Observator (empiricus rationalis) singula facta inter se comparat, tantumque proxima colligit, quaeque ex illis deducere liceat perpendit. Hoc modo Hippocrates enuntiationes primarias, (rationes simplices) et constantes, artis medicae intellexit: curationem ex mutatione constare, quae morbi causae opposita sit. — Aliquid in nobis esse, quod morbum tollat, quia multi morbi non iuvante medico profligentur; ideoque effectus naturae ipsius in morbis nos observare et diiudicare oportere.

§. 4.

Secundum has regulas observator, qui experientiam magni facit morborum periodos et conamina naturae describit et comprobat ex usu: Hippocrates huiusmodi observationum ope invenit, quae etiamnum arti medicae et praesretim arti prognosticae splendorem afferunt.

§. 5.

Morbos plerosque qui olim parum cogniti erant, hodie melius tantum per comparationem (per similitudinem, per analogiam) multarum observationum intelligimus. Praeterea confidere nos decet, nondum nos omnes difficultates supe-

rasse, multas observationes necessarias, et multas difficultates superandas esse, donec omnino usu plane edoceamur. Id vero, quod restat, etiam, difficillimum, illustrare, qua via illi, qui ex professione impirici rationales se nominari volunt, ad istam cognitionem pervenire possint, quam scientiam fundamentum artis medicinalis dicunt.

§. 6.

Quorum omnium cognitionis fons est, per analogiam et inductionem verum explorare. Facta et inductio, id est scientia, ex illis recte colligendi, praeterea sunt fontes cognitionis. Observationes verae ad rationes veras adducunt, hae ad axiomata (theoremata) quae non amplius probari possunt. Per inductionem igitur partes acute inventas, in talem ordinem et connexum redigimus, ut caput harum partium, locus connexus, qui verum indicat, in lucem prodeat.

§. 7.

Neque vero per analogiam argumentando eo progredimur, quo per inductionem, quia nexus similium non tam clara, ideoque conclusum non tam certum, quam per inductionem dat. Ad illam enumeratio tantum nonnullarum partium, ad hanc omnium requiritur. Inductione autem uti-

mur, cum ulterius procedere volumus, quam sensus concedunt, cum ex partibus cuiusdam totius, ex multis singularibus universam veritatem communi nomine recipere, in tanta horum multitudine breviter dicere conamur.

§. 8.

In plurimis quidem disciplinis sunt observationes singularum rerum hae partes, ex his abstractae conclusiones, axio mata, totum, summum. Quo maior et certior enumeratio singularum partium, eo firmior et constantior conclusio sit oportet.

§. 9.

A cognitis ad obscura est via inductionis, quia revera aliquid novi colligitur, quod ex observatione, (experientia) indirecte non docemur. Ab observationibu et experimentis, ad claras sententias, ab his ad nova experimenta, altiorem cognitionem (veritatem), ab singulis ad communia, iterum ad singula denique ad summum progredimur.

§. 10.

Etiamque illa Inductio, pervestigationes practicas naturae cum speculatione (contemplativis, theoreticis) experientiam cum ratione consociat.

Quo certiora et perfectiora facta, quo acutiore mente homines praediti sunt, qui omnes notiones ad subdivisionem collocant, quo magis observationes in connexum verum reducimus, atque ex his inconstantia, incerta, dubia reiicimus, eo rectior et perfectior fit inductio.

Per illa omnia inventa sunt, quae mente explorari possunt, et omnia probantur, quorum de veritate aliis persuadere volunt.

Inductio ergo via patentissima, qua homo magni ingenii naturae tenebras penetrat, ista quidem multo certius docemur, quam analogia, longe ulterius quam sensus ope procedere possumus, certissime ab evidentibus ad obscura. —

Quod Baco 1) de inductione dicit, nihil est, quia aliam quandam notionem intelligit ut supra exposui. „Secundo hoc ipsum quo asserimus (si advertatur paulo diligentius) demonstrat inductionis forma, quam proponit dialectica (nuda enumeratio particularium) qua scilicet scientiarum principia inveniantur, et probentur, quae vitiosa plane est, et incompetens; et naturam, tantum abest, ut perficiat, ut etiam eam

1) De augm. scient. Lib. V. Cap. II, 139.

pervertat, et detorqueatur 1)." At quatenus ad iudicium, quod fit per inductionem nihil est quod nos detinere debeat: Uno siquidem eodemque mentis opere, illud quid quaeritur, et invenitur et iudicatur. Neque enim per medium aliquid res transfigitur, sed immediate, eodem fere modo, quod fit in sensu. Quippe sensus in obiectis suis primariis, simul et obiecti speciem arripit et eius veritate consentit. . . Ad inductionis formam vitiosam prorsus valere iubemus. At vero Sanctorius huic rei proxime accessit, cum ait, inductionem ad cognoscendum universale conferre 2). „Non tamen negamus inductionem, vel experimenta conferre posse ad cognoscendum universale, quia ut dicit Boetius in praedicamentis, experientia est exemplorum collectio, post quam collectionem intellectus proprio lumine excitatur ad separandam naturam universalem ab individuali; tota enim natura universalis inest in quolibet individuo, ut saepe visis individuis, saepe quoque intellectui offeratur universale."

---

1) Lib. V. Cap. IV.

2) Sanct. Sanctorii opera Venetiis 1660. Methodi vitandorum errorum etc. pag. 385.

§. 11.

Theoreticus (medicus rationalis scilicet) ex simplicissimis rationibus quae per se existunt, conclusionem probatam efficit. Aliud consecutum gignit necessario aliud, tandem doctrinam conformat. Rationem solam sufficere morbis cognoscendis et curandis, contendunt. Subiiciendum est, quae proxima vero videri possint.

§. 12.

Iamque satis in primordiis illustravi fontes cognitionis, tantummodo hic facultates animi lectori in mentem revoco ad consuetudinem et associationem idearum in prima aetate, et subsequentibus annis, per analogiam et inductionem iudicandi. Ut hoc omittam tantum dicam illos rationales per experientiam ad istam sapientiam, methodum syntheticam pervenisse, quam solam veram dicunt, atque a priori exponere nobis volunt. Neque hoc sensu ut praeclarissimus Hartmann inquit 1); neque enim per

1) Hartmann. Der Geist des Menschen. pag. 17.: „In seiner höchsten Entwickelung offenbart sich das menschliche Erkenntnissvermögen in der Vernunft, oder dem Vermögen alles Mannigfaltige zur höchsten Einheit und alles Besondere zur umfassenden Allgemeinheit hinauf zu führen, und dann wieder die Vielheit aus der Einheit, und das Besondere aus dem

synthesin quae analytice nobis obtrudere volunt, acceperunt. Sed hi aliquam ideam praesumtam, quam causam omnium rerum interpretari volunt, proponunt. Quod probare per concordiam assumtam omnium phaenomenorum cum illa idea, conantur.

Haec fraus est contra se ipsum, rationemque ipsam. His quidem demonstrationibus solummodo confidere possumus, cum experientia (id est per analogiam et inductionem) ortae sunt. Frankius ait in praefatione. „Vanam esse, quae ex observationibus non deducatur, doctrinam.“

Nunc quaerendum est, utrum iam per illas vias ad summum pervenerint, an illud principium theoreticorum praesumtum sit.

Allgemeinen — aus den höchsten Principien — zu entwickeln. Das Denken einer Einheit, welche alles Besondere — wirkliche und mögliche — einer Sphäre in sich fasst, ist eine Vernunftsidee, welche folglich das Produkt der höchsten Synthesis, der bis auf den höchsten Punkt der Möglichkeit getriebenen Verbindung des Mannigfaltigen zur Einheit ist. Die Entwickelung des Mannigfaltigen aus der höchsten Einheit, oder aus seinem ersten Princip, bekommt den Namen Analysis, die ihrer Natur nach immer Synthesis voraussetzt; denn der menschliche Geist kann aus einer Idee vermittelst der Analysis nichts ableiten, was er nicht zuvor durch Synthesis in dieselbe hineingelegt hat. —

§. 13.

At vero, neque unquam nostram scientiam ad istud summum principium reduci posse, audacter confirmare audeo. Primo quod pauci valent, ut saepissime adnotavi recte facta in se assumere ne simplicissimam quidem causam adeoque magnos viros laudamus, cum paucarum nonnullarum diligentissima pervestigatione rerum causam repererunt. Quod si nunc concedo, per multos homines plurimarum rerum causam reperturos esse; facillime intelligere possumus, multo maius quiddam postulari, quam vires hominum praestare possint, scilicet ut omnes res in memoria teneant, et in promtu ad cogitationes comparandas et associandas habeant.

Ergo imbecillitas homines ad istas errores coëgit. Recte igitur dici potest, multo magis rationem atque mentem adeoque summum ingenium opus esse ad facta per observationem vera colligenda, quam theoriam fingendam.

Celsus ait 1) „Neque adiectum quicquam empiricorum professioni, sed demtum est, quoniam illi multa circumspiciunt, hi (rationales) tantum facillima et non plus quam vulgaria.

1) De medicina praefatione. Edit. Halleriana 1762.

Baco respondet 1) „nam si quis cui placet observationem expergefacere suam, et paulatim circumspicere, etiam ex exemplis obviis et familiaribus facile deprehendet, quantum obtineat imperii, intellectus subtilitas et acumen in varietatem sive materiae sive formae rerum.

§. 14.

Cum adhuc paucarum cāusarum verum sciamus, nos medici contenti volumus singulorum causam certe et accurate cognoscere, factorum historiam perficere, quae ab omnibus medicis excellentibus laudatur; in qua maxime Hippocrates, Sydenhamus Sanctorius inter omnes excellunt atque Aretaeus et Celsus paucique inter recentiores. Scripta, quae nomine Hippocratis nobis tradita sunt, optimum exemplum praebent, quomodo naturam intueri atque observatum, non cum propriis sententiis miscere nos conveniat. Sydenhamus ait, „sentio autem nostrae artis incrementum in his consistere, ut habeatur 1) historia sive morborum descriptio, quoad fieri potest graphica et naturalis 2) Praxis seu methodus circa eosdem stabilis, ac consum-

1) De augm. scient. Lib. IV. Cap. II. pag. 117.
2) Opera med. ed Genevae 1757. pag. 6.

mata. Sane morbos crasse depingere satis obvium est.“ Neque enim, medicina scientia ex usu, unquam ad altitudinem ac puritatem doctrinae abstractae perveniet, semperque scientia obiectiva erit.

§. 15.

Quid dicam? Si morbi in diversis corporibus ex causis diversis nascantur? Quid? Si morbus ad naturam cuiusque formetur. Quid tandem? si ars medici tantummodo facultate constet, naturam cuiuslibet ad quendam empirismum rationalem iudicandi.

§. 16.

Hoc mihi indicandum est, quas vias veteres secuti sint. In universum illi ad rationales aut empiricos adnumerari possunt. Igitur hi, ait Celsus 1) qui rationalem medicinam profitentur, haec necessaria esse proponunt. Abditarum et morbos continentium causarum notitiam, deinde evidentium, post haec etiam

---

1) praef. pag. 4.

naturalium actionum, novissime partium interiorum. —

Contra hi 1) qui se ἐμπειρικους ab experientia nominant, evidentes quidem causas, ut necessarias, amplectuntur: abscurarum vero causarum et naturalium actionum quaestionem ideo supervacuam esse contendunt, quoniam incomprehensibilis natura sit." —

Ex quibus apparet, veterum praecepta (medicinae) scientiae rationali constituendae non sufficere, quia utramque cognitionis partem, ut supra dixi non consecuti sunt, ex quibus tantummodo veritas altior in rebus medicis proferri potest. Adeoque rationales ne aliquam quidem regulam proposuerunt, sed praecepta eorum, opiones sunt, quas quilibet ad culturam suam aliter confirmavit.

§. 17.

Neque vero empirici methodum syntheticam noverunt, ut supra optimam et certissimam laudavi; neque enim per similitudinem (analogiam) iudicare tantummodo imitatio eorum fuit, quae experientia docemur. — Epilogismus methodus est quadam ratione ex praesentibus de

---

1) praef. pag. 8.

praeteritis et futuris argumentandi quod non raro hypothetice factum est 1).

Ergo utraque pars imperfectiores cognitiones rerum naturae, medendi scientiae nobis praebuit, exceptis libris Hippocratis, eiusque commentatorum. Praeterea ad hos Aretaeus, Caelius Aurelianus adnumerari possunt, quia multa atque optima ex scriptis empiricorum tradiderunt. Celsus descriptiones maxima ex parte excellentes morborum ex multis collectas tradit.

§. 18.

Hoc quoque verum est, illos viros magnos maxime ex parte illas notiones consecutos esse; neque tamen negari potest, hoc factum magis, (ex conditionibus naturalibus) ex necessitudine, quam ex plana scientia esse. Qua de causa factum est, ut Hippocrates ille vir magnus tam inanem theoriam invenire potuerit, qua omnes morbi ex inopia, abundantia et abnormi qualitate quatuor istorum humorum, sanguinis, phlegmatis, bilis et atrae bilis nascantur. Ille tamen admonet, principia tantummodo in natura

---

1) J. F. C. Heckers Geschichte der Medicin 1822. Grundsätze der Empiriker.

quaerenda esse ideoque causae probationes tam simplices esse deberent, ut veritas statim in oculos caderet indeque conclusiones clarae factae sint. Hoc evidentissimo exemplo satis docemur, quam difficile sit, ab erroribus illorum theoreticorum liberos esse, ad quas animus nimis inclinat.

Sectio tertia.

De difficultatibus institutionis medicae.

1. Ipsius artis medicae difficultas.
2. Constitutionis cuiusque magna differentia.
3. Effectum naturae vis medicatricis ab effectu artis diiudicare difficillimum est.
4. Sermonis dubia et incerta.
5. Testimoniorum fallacia.

§. 1.

Inquirentibus in diversas partes naturae magna differentia in gradu veritatis et curae, itemque ingentes difficultates in veritate assequenda insunt. Nam consentaneum est, dis quisitiones rerum simplissimarum constantiumque facilius veritatem praebere, quam complicatarum. In aliis vero artibus, ut in mechanicis, vim gravitatis, cohaesionis materiae, pressus frictionum accurate diiudicare possumus. In chemia protinus affinitates ita constitutae sunt, ut unum saepe

experimentum sufficiat, ad aliquam generalem veritatem probandam. At vero corpus vivum nisi harum virtutum illorum corporum non organicorum, multas alias virtutes variabiles ac inconstantes habet, quae non semper diiudicari possunt. Si quis conatur, a priori in statu morboso et sano illas constituere, has difficultates facillime intelliget. Namque ut in algebra cum unus numerus falsus est, viritas falsa fiat oportet, sic in scientia medendi, cum enim omnes potentias aestimare non possumus, experientia semper fallax est.

§. 2.

Quodsi magna differentia respectu fabricae et virium esset, omnes morbi et medicamenta aequales effectus haberent; ideoque difficilia experimentorum, quia nunquam duo facta in omnibus concordant, quod natura fertilis semper aliquod novi procreat. Recte igitur dici potest, praecepta et methodos in plurimis tantummodo casibus, non in omnibus apta esse.

§. 3.

Vim medicatricem naturae existere, cordatus quisque concedet. Natura tantummodo medetur per easdem vires, quibus ab initio

ad extremum usque spiritum vitam conservat, viribus contra pugnantibus.

Difficillimum vero est intelligere num naturae vires sufficiant, morbo expellendo, nec ne; aut medicus aliquid facere debeat, atque quae res et quales medico acute sint iudicandae.

§. 4.

Sermone quidem sententias aliis tradere volumus. Plane autem adparet, hoc accurate fieri non posse, quoniam verba non semper eandem vim habent. Definitionibus, quidem deficientibus docti et indocti disputaverunt. Nec ulla scientia maius, quam nostra ab his contraversiis damnum recepit.

Nomina clara et distincta a notis, essentialibus et constantibus, quae in sensus cadunt, sumenda sunt, ut a chemicis et botanicis solent quae semper, ubicunque, atque ab omnibus intelligi possunt.

§. 5.

Cum vero vita unius hominis tam brevis sit, ut doctrina eius ad medicinam practicam non sufficiat, necesse est, ab aliis aut aequalibus aut verteribus consilium petere. Iamque vero manifestum est, praecepta ad auctoritatem scriptoris, atque ad sermonem clarum aestimanda esse.

Praeterea cavendum est, ne errores ex credulitate, scepticismo, ignorantia superstitione cupiditatibus, fraude aegrotorum et proprio amore disputandi socordia et historia et in diiudicando oriantur. Ergo medici est, errores et ex ipso et ex aliis ortos evitare.

Aliud denique impedimentum ingens hoc est, quod ii non scribunt, qui observant, atque qui scribunt, non semper artem observandi callent.

VITA AUCTORIS.

Ego Carolus Antonius Montagk Idibus Ianuarii anno millesimo septingentesimo nonagesimo nono Külstadii pago Eichsfeldensi parentibus optimis natus sum. Octo per annos in Gymnasio Heiligenstadiensi a viris eruditissimis litterarum primordia edoctus anno MDCCCXVII mense Aprili testimonium maturitatis adeptus in Universitatem Georgiam Augustam me contuli ubi studia medica inchoavi. Ducibus Cel. viris, Hempelio osteologiae, Osiandero encyclopaediae medicae operam navavi. Annis subsequentibus lectiones Langenbeckii de anatomia, chirurgia generali et speciali, Stromeyeri de chemia, pharma-

cia, Blumenbachii de physiologia, anatomia comparata et historia naturali, Schulzii de logica, Bouterwekii de aesthetica, Krausii de materia medica, pathologia et therapia generali de ratione concinnandi formas, Himlyi de pathologia et therapia speciali, atque de methodo morbis oculis medendi, Osianderi de arte obstetricia frequentavi.

Quibus absolutis sub finem anni MDCCCXVIII mense Octobri Berolinum profectus a Cel. Weiss, t. t. Rectore Magnifico d. XXIV. m. Octobris, in numerum civium academicorum receptus et ab Ill. Berends t. t. Decano spectabili facultatis medicae studiosis sum adscriptus. Ex quo tempore institutionibus plerorumque Ill. virorum huius Universitatis gavisus sum. Partibus quidem theoreticis semper docilem praebui aurem. Iamque vero ad artem medicam exercendam conversus in scholis clinicis, quibus Ill. viri, Hufelandius, Berendsius, Graefius, Rustius, Neumannus, de Sieboldius praesunt, aegros curavi.

Iam vero tentamine et examine rigoroso coram gratiosa Facultate medica Berolinensi absolutis, spero fore ut summos in medicina atque chirurgia honores, dissertatione rite defensa, consequar.

THESES.

I.

Contraindicationes emetici nego.

II.

Plurimi morbi ex cruditate organorum digestionis originem habent.

III.

Multi morbi nobis insanabiles curantis aptiore ingenio praediti diligentia ac tempore ad sanandum opportuniores reddi possunt.